



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

27. Cum in Pastoralibus &c. Facultates S.R.E. Cardinalium in adjutores
Visitationes Ecclesiarum, & Locorum Piorum Urbis assumptorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

XXVII.

Facultates S. R. E. Cardinalium in Adjuutores Visitationis Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis assumptorum.

*Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus
pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum Piorum
Almæ Urbis à Nobis instituta specialiter deputatis.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

*Venerabiles Fratres Nostri salutem, & Apostolicam
Benedictionem.*

Continuando à
præceden-
ti assump-
tione Car-
dinalium
in Adjuto-
res decla-
rat faculta-
tes.

Mandat
adhiberi
fidem or-
dinandis
per Card.
vivæ vocis
oraculo.

Facultas
mandandi
& exequi
mandandi.

Vocandi,
& cogendi
quoscum-
que & qua-
lescumque
ad compa-
rendum.

Cogendi,
ad respon-
dendum,
& ferendū
testimoniū
etiam per
censuras

Recipien.
di memo-
rialia dire-
cta Ponti-
fici etiam
secreta,
& provi-
dendi.

Adhiben-
di in confi-
lium per-
sonas sibi
benevifas.

Ecclesiæ,
& loca vi-
sitanda, &
quoties,
etiam Na-
tionalia.

§. I. CUM in Pastoralis visitatione, quam nuper inchoavimus, & Deo adjuvante profecui interdum, Cleri nimirum Romani, & omnium Almæ hujus Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum, & operum, Vos potissimum ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio delegerimus, & nobis in eo munere adjutores allumpserimus, adeoque vestrâ operâ in iis, quæ per nosmetipsos præstare non valemus, diligenter inquirendis, examinandis, & exequendis uti cupimus; Idcirco, ut vestrum ea in re ministerium plus habeat autoritatis, & firmitatis, uberioremque ad cultus divini propagationem, ac animarum salutem, Deique gloriam pariat fructum, providere volentes, vobis, & vestrum cuilibet insolidum circa Visitationem ipsam, eaque durante mandata quæcumque etiam vivæ vocis oraculo per vos à nobis accepta, illis ad quos ea res pertinet referendi, & oretenus per nos ordinata mandandi, quibus relationi, ac mandatis vestris, & cujuslibet vestrum de ordine nostro factis hujusmodi plenam, & indubiam fidem ab omnibus adhiberi, atque firmiter obtemperari tanquam mandatis Nostris Apostolicis volumus, & jubemus; Mandata quoque, & præcepta quæcumque necessaria, & opportuna illis in rebus, quæ visitationis, hujusmodi præparationem, statum, progressum, & executionem concernunt, decernendi, faciendi, atque exequi jubendi; Personas quæcumque tam Ecclesiasticas Seculares, & cujusvis Ordinis etiam Cisterciensis, ac Sancti Antonii Viennensis, necnon Congregationis, Societatis, etiam Jesu, ac Instituti, necnon Militarium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Regulares, quam etiam Laicos pro rebus, & negotiis ad visitationem hujusmodi pertinentibus ad vos vocandi, & personaliter coram vobis comparandum citandi, opportunisque Juris, & facti remediis compellendi.

§. 2. Similes item personas quascumque, & tanquam principales, & tanquam testes, seu tanquam principales, quoad se, & tanquam testes quoad alios examinandi, & ut veritati testimonium perhibeant, admonendi, ac etiam cogendi, iuramenta eis deferendi, & ab eis exigendi, & recipiendi ad Sacrorum Canonum præscriptum, ac recusantes per censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas, etiam corporales vobis benevolens compellendi, Memorialia etiam nobis inscripta, & directæ, atque instructiones, relationes, delationes, querelas etiam secretas contra quascumque personas accipiendi, & Nobis referendi, seu aliâs, prout rerum, & personarum qualitas requirit, juxta ordinationes nostras, & ex auctoritate vobis tradita providendi, Congregationes aliquarum personarum, quæ vobis in consilium super præmissis adhibendæ videbuntur, faciendi, & illas eisdem personas auctoritate nostra vocandi, & cum eis de negotiis visitationis hujusmodi tractandi, consulendi, & deliberandi.

§. 3. Quotiescumque etiam vobis videbitur, ac etiam seorsum à nobis, & iteratis vicibus quorumvis dictæ Urbis, seu extra illam, intra ta-

§. 4. Ac in præmissis omnibus, & singulis quæcumque correctione, emendatione, & reformatione indigere cognoveritis, corrigendi, emendandi, & reformandi, processusque necessarios desuper faciendi, & Nobis referendi, seu juxta Ordinationes nostras in his opportune providendi, mandata, decreta, statuta, & Ordinationes executioni demandandi, ac custodiri, & observari præcipienti, demumque omnia alia, & singula, quæ hujusmodi visitationis negotium, ulteriorem progressum, executionem, & in ea facta, & facienda decreta, statuta, & Ordinationes concernunt, & concernent, seu ad ea quomodolibet spectant, & spectabunt faciendi, gerendi, exequendi, mandandi, & ordinandi.

S. J. Contradictoresque, & vobis in præmissis inobedientes; & rebelles, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quomodolibet præstantes per suspensionis, ac etiam privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac per censuras, & pœnas Ecclesiasticas; & temporales, etiam mancipationis carceri; aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, plenam, liberam, amplam, & universam tribuimus potestatem.

Materia,
& subjecta
Visitationis.

Ordina-
tiones fa-
ciendi.

Exequendi
appellatio-
ne remota
per juris,
& facti re-
media etiā
carceris, &
privatio-
nis.

§. 6. Man-

Præcipit
obediri.

Intendit
servari or-
dinem præ-
cedentis,
eoque non
servato
nulli jus
acquiri,
vel præju-
dicari.

Visitandi
Infimos,
& semel
impartien-
di benedi-
ctionem
Apost.

Indulgen-
tia plena-
ria pro iis-
dem Infr-
mis.

Eleemofy-
na pro iis-
dem ab
Eleemofy-
nario Pa-
latii.

Derogatio
obstanti-
bus, seu
contrariis.

§. 6. Mandantes propterea omnibus, & singulis ad quos spectat, & spectabit, quacumque dignitate, autoritate, potestate, & præminencia fungentibus, ut vobis, & cuilibet vestrum in præmissis omnibus, & singulis promptè pareant, & obediant, alioquin sententias, five poenas, quas ritè tuleritis, seu statueritis in rebelles ratas habebimus, & faciemus autore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§. 7. Cæterum in visitatione hujusmodi Ordinem præcedentis inter Ecclesias, Monasteria, & loca quacumque per vos visitanda, quantum commodè fieri poterit, servari volumus; nulli tamen Ecclesiæ, Monasterio, vel loco, nec ulli Capitulo, Collegio, Conventui, Confraternitati, Archiconfraternitati, aut personæ tam conjunctim, quàm divisi, seu aliàs quomodolibet ejusdem visitationis five Ordinis hujusmodi in illa servati, vel non servati occasione in aliquo, etiam minimo, quoad præcedentiam, aliàsque prærogativas quascumque præjudicari, aut quicquam novi Juris acquiri decernimus, & declaramus.

§. 8. Præterea cupientes in prædicta nostra Pastoralis Visitatione animarum saluti, quantum in nobis est, prodesse, ac etiam corporales Christi pauperum, præsertim Infimorum, indigentias paternæ charitate sublevare: Circumspectioni vestræ, & vestrum cuilibet præsentium serie mandamus, ut conjunctim, vel divisi Parochias Ecclesiarum diligenter perlustrare, & perquirere studeatis, atque earum pauperes Infimos graviter decumbentes singulos nostro nomine visitetis, Apostolicam, & nostram eis benedictionem, ut moris est, semel impartiamini, eosque paternis monitis, & salutaribus consolationibus recreetis, hortantes ipsos, ut in humilitate, & patientia propter Deum corporis infirmitatem, & dolores sustineant, & ad parendum Divinæ voluntati, quodcumque ei placuerit ipsos ex hoc seculo revocare, se piè, & Christianè præparent, sinceroque corde ad Deum conversi humiliter ab eo suorum peccatorum veniam petant, atque omnia Ecclesiastica Sacramenta, quibus Christiani ex hac vita migraturi se præmunire solent, & debent, devotè, & reverenter suscipiant.

§. 9. Nos enim eorum singulis, ante, vel post vestram visitationem, ut præmittitur, poenitentibus, confessis, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem elargimur.

§. 10. Volumus autem, ut eo interim vobiscum adducatis Dilectum Filium Nostrum, & Palatii Apostolici Eleemofynarium, qui, prout cujusque eorumdem pauperum egestas, & personarum conditio postulaverit, etiam oblati nostra impensâ charitatis subsidiis, pecuniis, cibis, potu, pharmacis, vestibus, medicorum ope, cæterisque ad victum, seu ad recuperandam valetudinem necessariis, temporalibus, quibus nunc urgentur, eorum necessitatibus succurrat.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Ordinum, Congregationum, Societatis, Militiarum, etiam dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Archiconfraternitatum, Confraternitatum, & aliorum locorum, & Operum piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, stabilibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Stylo Curie; privilegiis quoque, Indultis, exemptionibus, & Litteris Apostolicis præmissis, & cujusvis illorum, ac Superioribus, & personis eorum quomodolibet nuncupatis, & qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriis derogatoriis,

aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam consistorialiter, & alias quomodocumque, & quodcumque concessis, confirmatis, & pluries innovatis, Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1693. Pontificatus Nostri Anno secundo.

J. F. CARD. ALBANUS.

Facultas pro DD. S. R. E. Cardinalibus in Adjutores Visitationis Ecclesiarum, & Locorum Piorum Urbis assumptis exercendi Pontificalia in eisdem Ecclesiis, & locis piis.

Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum piorum Alme Urbis à Nobis instituta specialiter deputatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles Fratres Nostri salutem, & Apost. benedictionem.

Officii Nostri est Pastoralia munera, quæ Divinâ favente clementiâ administranda suscepimus, ea prompto, hilarique animo prosequi, eos verò, quos in eisdem Pastoralibus muneribus prosequendis assumpsimus, & deputavimus, nostræ item mentis est opportunis facultatibus adhuc munire, ut illis suffulti incumbentiæ onera meliùs subire, & inceptum opus perficere quam primum valeant.

§. 1. Cum itaque occasione Visitationis Nostræ Apostolicæ, quàm in universæ Alme Urbis, ejusque Districtus Ecclesiis, Monasteriis, locisque Sacris, & piis nuper indiximus, & per Nosmetipsos obire cepimus, non raro comperiri possit, necesse esse in aliquibus ex Ecclesiis hujusmodi Altaria consecrari, campanas, ornamenta, indumenta, & alia Pontificalia munera exerceri, Illis ex Vobis in eadem Visitatione Adjutoribus per Nos assumptis, qui consecrationis Episcopalis munus susceperunt, & eorum cuilibet plenam per præsentem concedimus facultatem, ut in quibuscumque, tam intra eandem Urbem, ac prope, & extra illius muros, quàm etiam intra ejusdem Urbis districtum sitis Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, nec non Monasteriis, Prioratibus, & Domibus Secularibus, seu cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Militiæ, Congregationis, aut Instituti Regularibus, tam virorum, quàm mulierum, atque Hospitalibus, Oratoriis, Sacellis, Cæmeteriis, locisque piis, ac religiosis, tam exemptis, Nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis, quàm etiam non exemptis, & quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalibus ratione tituli, aut denominationis, seu Cardinalatus, aut aliàs quomodolibet, & ex

Dat. 16.
Jan. 1693.
P. A. 2.

XXVIII.

Exordium

Continuando cum facultate visitandi, Cardinalibus Episcopis concedit facultatem exercendi Pontificalia.

quavis